

diphilium

SACERD. GL VI 507. 17 sqq. nunc de choerilio metro secundum dispositionem specierum metri dactylici doceamus. de choerilio hexametro et eius schematibus octo. choerilium metrum, quod et diphilium et angelicum nuncupatur, constat penthemimerica caesura et syllaba et altera penthemimerica (*quae sequuntur* vd. s. v. χοιρίλειον).

ΑΡΤΗΘΝ. GL VI 70. 17 sqq. e cuius genere (*scil.* dactylico) hae metrorum species gignuntur, diphilium seu choerilium, logaoedicum seu archebulium, aeolicum sive sapphicum et cetera, de quorum statu ac ratione suo loco dicemus.

ΑΡΤΗΘΝ. GL VI 73. 16 sqq. hexametrum (*scil.* dactylicum), cui sex incisio-nes sunt, ut: (Verg. *Aen.* IV 129, XI 1)

Oceanum interea surgens Aurora reliquit:

fit catalecticum in syllabam, cuius ea compositio est, ut habeat duos dactylos et spondeum, dehinc totidem dactylos et in fine syllabam, ut:

alma parens, genetrix divum, decus Oceano.

nam si una syllaba brevius fuerit a legitimo hexametro heroico, dicetur diphilium metrum, ita tamen ut ista versificatio tertium pedem spondeum semper habeat.

ΑΡΤΗΘΝ. GL VI 110. 21 sqq. choerilium seu diphilium metrum ex eodem pentametri ortum esse genere res ipsa indicat. est enim e dactylica specie derivatum, suprema tantum versus syllaba, quin sex pedibus profluat, brevius (*quae sequuntur* vd. s. v. χοιρίλειον). [R.S.]